



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XLVII. Sensus Christi è doloribus Matris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

O fortunate latro, qui hodie abis ad paradifum, & tam familiaris es Domino, compatere huic misero peccatori, socio tuo, & juva me, ut impetrem crucem, quæ te salvum fecit: & amorem, qui renovavit, & gloriam, quæ te coronavit. Amen.

ÆRUMNA XLVII.
Sensus Christi è doloribus Matris.

I.



Acratissima Virgo, Domina nostra, fidelis sociata fuit ærumnarum Filii sui, Redemptoris nostri, tantumque de illis participavit, ut sine particulari memoria præteriri non possit. Quia causa dolorum fuit illi videre, quæ Filius patiebatur: sed neque Filio parvum dolorem creavit, videre & nôsse, quid amore sui pateretur dilectissima Mater. Et ut hæc semper perfectè est imitata Filii sui virtutes heroicas, ita etiam in doloribus, & patiendi modo similis ei fuit, quantum decebat. Sustinuit in corde suo magnum certamen, hinc amoris erga Unigenitum suum, quem tanta sciebat passurum; inde verò submissionis erga voluntatem Dei, ac desiderii ardentissimi peragenda Redemptionis peccatorum, quorum advocata jam erat: sic ut amor salutis nostræ desiderium mediorum ad eam necessariorum accenderet; sed amor maternus erga Filium, cui tanto media illa constarent, ea refugeret, reverentia verò Divini Numinis ipsam DEI voluntati plenè subiceret.

Ærumna
B. V. Filio
doluerunt,

Ejus in voluntatem
Patris æterni resignatio,

II. Appetente jam Passione Domini credunt Sancti, eum pro suo amore & obedientia, quâ semper fuerat erga Matrem, ipsi valedixisse, petendo licentiam exequendi decreta Patris æterni; cui placeat, ut ipsa quoque suæ cruci assistat, ac defuncti corpus involutum sindone sepeliat: simul indicando, quid interim ei faciendum, & ubi commorandum sit, quoad resurgat; denique discipulos & reliquos fideles ei commendando. Et quia jam aliàs indicaverat illi, quænam passurus esset, compendio ipsi tunc omnem rei seriem recitasse, ut spiritu eum comitaretur. Credibile est, eos hîc non amplius multis verbis utos, sed oculis & affe-

Y y

ribus

tibus sua sibi senſa mutuo communicâſſe. Atque hoc ita, ut mu-
 tuus amor & conformitas cum divina voluntate, nullam im-
 perfectionem, nullum summæ obedientiæ defectum inter naturæ
 ſenſa admitterent. Chriſtus enim ut natus è Virgine, naturaliter
 tactus eſt Matris fortunâ; ſed cum ſimul Deus eſſet, ei robur
 dedit ad omnia perferenda, & ſolatus eſt eam verbis divinis, quæ
 illa velut humilis ancilla ſervabat in corde ſuo, accipiens novum
 augmentum gratiæ, fortitudinis, & exceſſivi amoris, ut ſupera-
 re poſſet hoc mare dolorum, quod jam fervebat. Facile eſt intel-
 ligere, quàm paratam ſe oſtenderit ad patiendum pro illo, ſi poſ-
 ſet & conveniret, & quanto id ei ſuavius fuiſſet, quàm videre
 pati Filium. Sed quia Deus aliter conſtituerat, obtulit ſaltem
 cor ſuum: Dominus autem viciffim corpus ſuum ad patiendâ,
 quæcunque Deus conſtituit: Virgo pati debuit tormenta filii in
 parte ſenſibiliore, quæ eſt anima, nihil cogitando de propriis. Fi-
 lius autem in humanitate ſua ſuſtinere & ſua & Matris, ad menſu-
 ram propriæ virtutis.

*Et rompi-
 tudo pa-
 tiendi pro
 Filio.*

III. Abeunte Domino ad immenſum pelagus dolorum,
 Virgo continuæ orationi incumbens, eum ſequebatur animo: ut
 adeo veſper ejus diei triſtiſſimæ initium apud illam ſumeret ab
 oratione, lacrimis, agonia ſeu luctâ internâ, cum perfecta ſub-
 jectione & obedientia Voluntatis divinæ, proſus eo modo, quo
 Chriſtus in horto cœpit, ſudando ſanguinem. In iſta occupatione
 perfeveravit uſque dum renunciaretur, quid agatur Filio, ac tem-
 pus eſſet ei ſe associandi. Nocte, quâ captus eſt Jeſus, dilapſis
 jam cubitum Judæis, dum eſſet in carcere uſque ad lucem (quod
 duarum circiter horarum fuit poſt mediam noctem) Joannes Vir-
 gini retulit, Dominum morte condemnatum à Judæis, manè
 traditum iri Pilato, pro confirmatione & executione ſententiæ.
 Multa hîc meditantur, quæ locuti ſint Virgo & Joannes: equi-
 dem cenſeo, ut lacrimæ & ſenſus cordis non defuerint, linguæ
 tamen haud multum indulſiſſe Virginem, cujus modestia ſumma
 & prudentia nihil admittebat inconveniens in verbis aut geſti-
 bus, ſed in corde patiebatur plus, quàm dici queat.

*Filii veſti-
 gia ſequu-
 tur.*

IV. Orto jam ſole, domo prodiit, Filium, ſi poſſet, con-
 ſpectura, & ſecutura ſancta ejus veſtigia. Prodivit autem ſilen-
 tio,

tio, lacrimis vias, & suspiriis ardentissimis cælum aspergens: sociarunt se ipsi aliæ matronæ, Christo devotæ, cum sensu doloris, ut assolet. Interim Judæi Christum ad Herodem ducebant: sed Mater eum præ turbâ non viderit, licet audiret voces variè de illo sentientium, & blasphemantium. Cogitari potest, Agnum in medio luporum, desiderâsse præsentiam ejus, quam tantopere diligebat: ut solent amantes in ærumnis constituti acerbius sentire absentiam dilectorum, tametsi non parùm cruciaret eorum præsentia. Sed illa tum primum eum videre potuit, quando à ^{In ejus} Pilato propositus fuit omni populo, totus cruentus, convulnera- ^{consp. suam} tus ac deformatus, amictu ridiculo, cum spinis in capite, & arundine in manu. Bene sciebat illam adesse, & ipsa suum ei cor patere, quo non sauciabatur minùs, quàm quòd illum spinis & flagris laceratum videbat. Ibi audivit falsa testimonia, & clamorem præponentium ei Barrabbam homicidam: ibi audivit voces eum deposcentium ad crucem, & præconis denuntiantis diram sententiam: ibi conspexit elevatam crucem, ab eo deportandam in Calvariam, ut affigeretur in illa. Secuta ergo cruenta ejus vestigia, tot lacrimas, quot ille sanguinis guttas fundebat; nec minùs onerata cruce dolorum in animo, quàm humeros filii ligno premi videbat.

V. Postea considens in monte Calvariæ, cum matronis, quæ Dominum erant secutæ, ipsam ut poterant consolantibus, ad instar filii, tacita sufferebat animi sui dolores. Cùmque audiret ictus malleorum, quibus affigebatur Dominus cruci, feriebatur simul cor ejus, & immenso cum dolore expectabat, donec elevatum in cruce videret, præcipiens animo, quanti forent cruciatus singulorum illius membrorum, amore eos ipsi accuratè describente. Atque ut debilis erat à vigiliâ, & modicissimo cibo, & exhausta lacrimis, cùm filium elevatum aspiceret, quia mater & homo fuit, & non potuit impedire sensum naturæ, sine omni culpa & vitio, in brachia sociarum collapsa est ex deliquio, quale solet in enormi dolore etiam robustis contingere. In quo arescentibus lacrimis aliquantisper tremens ac pallida mansit, quoad non aspersione odoriferæ aquæ, aut balsamo, sed sponte:

corroborante eam ad ulteriora filio, collectis viribus erecta, cum Joanne & matronis, locum cedente populo, penetravit ad crucem, & modò procumbens in genua, modò stans fixis in Filium oculis, functa est in animo suo munere advocatæ peccatorum, offerendo pro illis DEO Patri communis Filii sanguinem, ac suos dolores cum ardentissimo desiderio salutis illorum. Formidabat videre morientem, ac dolebat, quòd cruciatus ejus tam diu durarent, solâ morte finiendi. Desiderabat mitigari à Patre rigorem tormentorum filii, & volebat nihilominus ad unguem conformari ordinationi divinæ. Aspiciebant se mutuò sanctissima ovicula, & divinus Agnellus, & intelligentes se mutuò, alter alterius doloribus cruciabatur. Confidenter dixeris, quò magis considerantur acta inter illos, eò minùs comprehendi posse dolorem & sensum eorum, ac tantùm duo illa corda plenè intelligere, quæ passa fuerunt. Cùm enim dolor fuerit par amori, non assequetur illum, nisi qui hunc fuerit assecutus, à quo longè absumus omnes. Parcamus ergo verbis imparibus rei, & sensum ejus profui quisque amoris gradu sequamur. Interim autem dolor Virginis identidem renovabatur continuò succedentibus rebus; cùm filius constanter quereretur se derelictum à Patre; cùm aceto & felle potaretur: cùm clamans emitteret Spîritum: cùm depositum ipsa exciperet gremio: cùm involueretur linteamine: cùm obsignaretur sepulchrum: denique triduum, quo expectabat resurrectionem, videbatur triennium.

VI. In veris & perfectis imitatoribus Christi, qui venerunt ad statum puri amoris, videmus magnum effectum hujus Charitatis, qui est, sufferre cum gustu proprias ærumnas ex amore DEI, graviter autem sentire ærumnas aliorum, adeò ut mallent eas ipsi perpeti, quàm in aliis cernere. Clarè hoc ostendit Christus tum in totius vitæ suæ decursu, cùm in passione præcipuè. Nam acerbior fuit ei damnatio Judæ, quàm ea, quæ propter ejus prodicionem passus est. Filiabus Jerusalem, super eo plangentibus, clarè dixit, quantò magis imminente ipsarum exitio, quàm sua cruce prematur. Elevatus in cruce velut immemor suorum dolorum ante omnia sætegit veniam impetrare suis

*Explicari
nequit. quæ
Filius &
Mater in
presentia
passi s. t.*

fuis tortoribus. Ex quo patet, amorem, quo fertur in suas creaturas, ei mala earum repræsentare tanquam propria, & facere, ut gravius ea ferat, quàm sua. Unde dubium non est, ei dolores Matris cruci adstantis, acerbiores fuisse, quàm suos. Nam illa dignior fuit ejus amore, quàm simul omnes alii in cælo & in terrâ: magis igitur amabat illam, & amabatur ab illa. Fuit mater, cui nulla similis; socia vitæ & arumnarum fidelissima, innocentissima, digna, quæ nihil pateretur mali; & tamen passa est, qualia nemo unquam, ante vel post illam: quia tali Matri ob oculos versari talem filium in tantis cruciatibus & injuriis, nec posse eum juvare, crux erat ipsi soli reservata, solius Virginis humeris par & ferenda: nam heroicis virtutibus ejus fuit commensurata. Et licet pro debita erga Matrem observantia, Dominus non permisit, ut ab ullo carnificum pateretur aliquid molestiæ; solum tamen id, quòd ejus filius esset, eamque ut Matrem amaret, sufficiebat ad illam ita torquendam, præ omni carnifice; sicut initio suæ vitæ suffecerat ad illas consolationes, quas ex eo percepit.

VII. Videbat à cruce Dominus, omnia penetrare cor sanctissimæ Matris: videbat inconsolabiles lacrimas: videbat ejus desolationem, in qua erat, & futura erat se mortuo, & quidquid passura, ex dispositione Patris æterni. Quæ omnia dulcissimo cordi Domini JESU materia erant novi tormenti, Patre sic ordinante, ne quidquam deesset, quo possent afflictiones ejus Humanitatis augeri. Et hanc putant esse causam, cur non appellaverit matrem; ne per hoc amabile nomen aliquid ipse sibi solatii sumeret: sed dixerit: *Mulier, ecce filius tuus*: ne scilicet videretur omnem ejus curam deposuisse, sed ei consulere velle, quantum posset, sibi substituendo discipulum, qui deinceps ipsi servir: cui ideo dixit: *Ecce Mater tua*. Et ut Joannes juxta crucem repræsentabat omnes homines, ita voluit Christus in eo nos omnes obligatos ad serviendum huic Dominæ. Quod ille sic præstitit, ut nihil crederet majoris negotii se habere in mundo, nec meliorem hæreditatem sibi ab amantissimo Magistro potuisse obtingere.

VIII. Non exiguo Virgini solatio fuit, audire vocem Unigeniti sui pro se solliciti: nôrat enim assignatione novi filii,

Yyy 3

illum

B. V. in Io-
anne nos
omnes in
filios acce-
perat.

illum sibi non adimī, quem genuerat, & ut creatorem ac Domi-
num suum habebat. Et ut intelligebant se mutuò hæc duo purif-
sima corda, sic acceptavit illa Joannem in filium, & in eo nos
omnes, bene videns Dominum hoc velle; & cum tam atrociam
patiatur ab hominibus, futurum, ut hi deinceps parùm in ipso ha-
beant fiducia, tantorum contra eum sibi facinorum conscii, nisi
Matrem suam illis daret, per quam ad se recurrant confidentius.
Nec dubitandum est, de amore hujus Dominae erga peccatores;
quandoquidem eos, ad pedem crucis acerbissimo cum dolore par-
turiit, quem in Unigeniti sui partu non sensit. Ubi clarum fit sal-
tissimum mare dolorum Christi & Matris, terminatum in dulce-
dinem gratiæ & divitias peccatorum. Hæc omnia nos obligant,
ut oculos defigamus in hos duos purissimos spiritus, & in illorum
obsequiis totam vitam nostram impendamus, & curemus omni
diligentiâ insistere sanctissimis eorum vestigiis: quia cogitari non
potest, servum placere Domino, si aliâ viâ incedat, quàm tenuerint
Virgo & Christus Dominus noster.

EXERCITIUM

Circa dolorem Domini ex conspectu Matris
afflictae.

I.

Dolores Fi-
lii sunt do-
lores Ma-
tris: Mater
dolos, Fi-
lii.

BONE JESU, innocens Agnelle! qui undique torqueris in ista
cruce, & vides etiam torqueri cor innocentissimæ Matris &
ancillæ tuæ, da mihi, ut associer vobis, & sentiam utriusque ve-
strum dolores. O duo corda, tam pura, tam plena gratiâ & pul-
chritudine interna, tam accensa puro amore, tam invicem con-
juncta & afflicta! Sentiebat sanctissima Virgo, ut Mater, & fide-
lissimè amans, immensos dolores divini Agnelli, filii sui. Sentie-
bat obedientissimus filius incomparabiles dolores Matris, ut
amantissimus & fidelis amicus. Purissima ovis, & innocentissi-
mus Agnus mutuò se inelamant, patitur alter pro altero, plorat
alter pro altero, alter alterius dolorem sentit sine solatio: &
quantò amor est purior, tantò sensus doloris est major. O durum
cor,

cor, non solveris dolore & lacrimis, videns te causam fuisse dolorum istorum? Quid fecit hic Dominus; ut tanta pateretur? Tu improbe & perverse peccator, cum infandis tuis peccatis, es carnifex ac tortor horum sanctissimorum cordium. Ignoscite mihi, purissima corda: sumite vindictam de me, quam promereor; & quia vobis obediunt omnes creaturæ, jubete ut omnes de me sumant vindictam, immittite mihi vestros dolores, quia eorum causa fui & sum: juvem dolere, & sentire, quod feci vos pati, Amor animæ meæ, *Jesu*, Virgo spes mea! quæ tantopere imitaris filium tuum, in amore peccatorum: tollite à me gustum vitæ, quia vester sum: & cum vos eam transigatis in dolore, non finite me illam sine eo finire, quia sum è domo vestrà, & servus vester, licet indignus: non permittite, ut in hac vita delectationem habeam, nisi in eo, quo vos delectamini; sed ut semper feram in anima mea vestros dolores, ut sentiam eos vobiscum, vos amem, & in obsequia vestra convertam omne tempus vitæ meæ.

II. O Virgo sacratissima! quomodo versa sunt omnia gaudia tua in misérias? si fuissent, qualia sunt mundi, justa foret hæc mutatio: sed tu, Regina Angelorum, nunquam delectata es, nisi rebus divinis. Deus possederat cor tuum: solus ille, & quod ab eo proveniebat, vel ad eum ducebat, te delectavit. Gavisa es videre te Matrem *DEI*, & plenam Deo: videre natum, & adoratum ab Angelis, Pastoribus, Regibus: videre eum in gremio tuo, nutritum purissimo lacte tuo, quiescentem inter brachia tua, agnitum à justo Simeone & Anna. Totis triginta annis, quibus egisti cum eo, omnis tua delectatio interna, divina, spiritualissima fuit, ab eo tibi communicata inter jubilos, raptus & excessus mentis, quibus anima tua purissima, inflammata à Filio ac Deo tuo, elevabatur, uniebatur, ac transformabatur in ipsum: nam à sua divina Majestate majores accipiebas favores, quam omnes alii, quia plus omnibus creaturis eum amabas. Quid igitur, o Domina, & Regina Angelorum! fuit in his delectationibus tuis, quod mereretur verti in dolorem? Debitne in te locum habere miseria, & tributum infelicitum filiorum *Evæ*, à cujus peccato fuisti immunis? Non potuit etiam tibi hæc terra non esse

esse vallis lacrimarum? O miserum peccatorem! qui videns Regi-
nam Angelorum in afflictione, cogitas delicias in hac vita,
cum nulla tua delectatio sit pura & integra! Erubescere, miserande
peccator, coram hoc Domino, & hac Domina: pudeat te tempo-
ris in tanta inordinatione consumpti, & quod tam malè feren-
dis adversis te accomodes. **JESUS**, Filius **DEI**, moritur in cru-
ciatibus; purissima Virgo Mater non refugit dolores, quos patitur;
& tu perverse peccator, petis solatia & voluptates!

*Quantum
B. V. dilexit,
tantum
passa est,*

III. Quamdiu vixisti cum Domino, Regina! expectavi-
sti hos dolores, quos prædixerat Simeon. Et nunc vides oculis
tuis omnia versa in eum statum, quo obliviscaris omnium præ-
teritorum gaudiorum. Secundum magnitudinem tui amoris cre-
verunt dolores. Filius iturus ad patiendum, tibi valedicendo
significat, voluntatis divinæ esse, ut suæ cruci assistas, & mox gla-
dius doloris pertransit cor tuum. Joannes te vocat, asserens ap-
petere tempus crucifixionis, & tu mox egrederis domo, plateas
urbis irrigans lacrimis pretiosissimis. Invenis Unigenitum tuum
in medio immanium ferarum suos rictus in eum pendentium, &
eum ad necem clamando poscentium. Vides eum, non jam
prostratis ante ipsum Angelis & Regibus, sed expositum populo
tanquam falsum Regem, blasphemis & omnibus injuriis onera-
tum, denique damnatum ad crucem, quam humeris gestat fati-
scens, ac tu sequeris plena immensi doloris. Audis ictus malleo-
rum affigentium illum, ac te transigentium simul. Expectas, ac
vides eum elevatum in cruce, cum ingenti clamore ac strepitu,
quo constringuntur viscera tua, & sanguis in venis gelatur. Ad-
stas cruci, & sub ea tristissimas horas transigis, inter summa tor-
menta filii & convitia, donec emittat spiritum. Deposuit in ex-
cipis gremio, involuit linteo, sepelivit, ultima ipsi præstans obse-
quia; sicut nato primæ præstiteras, pari amore, sed affectu longè
dissimili. Atque hoc totum tanto mari ærumnarum, tantis flu-
ctibus dolorum, tantis angustiis afflictionum, cum tanta desola-
tione ac derelictione, quantam nullus cogitaverit. Inter hæc
omnia flagrabat amor tuus, teque utebat, nihil remittente fide &
obedientiâ tuâ, quæ cor Deo resignatum tenebat, nihilque con-
tradi-

*Ultima ejus
in Filium
obsequia,*

tradicebat. Omnia dabant dolorem, afflictionem, desolationem: omnia cor transfigebant absque confortatione. O Virgo sanctissima! quis posset sentire, quæ tu sentis in anima? quanta scilicet in corpore suo sentit filius tuus, quem quantum diligis, tantum ei compateris: cui nullum cor aliud potest sufficere.

IV. Quando fideles tui servi & veri amici, ô Regina cæli! ^{Servi Ma-} vident hæc, diffuunt lacrimis; & si pro aliquo solatio tuo dolo-^{ria eidem} re confici possent atque consumi, paterentur hoc libentissimè.^{condolent.} Quis ergo fuerit sensus Filii tui amantissimi, cum videret hos dolores, quibus torquebatur cor tuum? nam ut illum tu semper amasti, sic ille te multò magis amavit & coluit annis triginta, tibi obsequens, adhærens, obediens: cum ergo te jam videt in hac desolatione, præ dolore nihil dicentem sibi, uti nec ipse tibi dicit aliquid, quia desunt verba, quibus mitigetur hic dolor; & super hæc omnia, videt se necessariò pati debere illa, quibus tu cruciaris, cum non possit non obedire Patri æterno; neque posse te non pati, dum vides eum in his tormentis. O Pater æterne, ac Deus totius consolationis! qualia corda sunt hæc duo, quæ tenes crucifixæ? quomodo non adjuvas unicum Filium tuum, & sacratissimam sponsam, humilem ancillam tuam? quomodo frangis legem tuam, quæ prohibet immolari simul Agnum & Matrem ejus? hinc enim ^{Filium quo-} iisdem clavis affixum tenes & Filium, & cor innocentissimæ Ma-^{cor Matris} tris. ^{iisdem cla-} Majorne tibi cura fuit brutarum pecudum, ne immolentur ^{vis affixum} eodem die, quo dolent imminutum esse numerum suorum agno-^{erat crucis.} rum; quàm purissimæ Virginis, quæ sic dolebat morte sui divini Agnelli? voluisti quoque, ne ullum tortorem savio-rem habeat, quàm amorem erga Unigenitum tuum; & ne quid desit summo dolori, disposuisti, ut in mutuo torquerentur ambo conspectu. Benedictio, laus & gloria sit amor tuo, Domine, quo prosequeris peccatores! Adoro te, & infinitas gratias ago pro omnibus operibus tui infiniti amoris.

V. O Fili Dei vivi, divina lux animæ meæ! per infinitum amorem tuum, quo me amas, rogo te, ut velis plenè illuminare me his divinis veritatibus, & è corde meo pellere desideria consolationum hujus vitæ, & me confirmare in tui amore, ac desiderio ^{patiendi}

patiendi pro te. Es quia omnia decora tua occasio tibi tormenti fuerunt, ipsa adeo sanctissima Virgo Mater, cui vicissim ipse quoque fuisti causa tribulationis immensa; quanta est mea cæcitas, si cogitem aliâ viâ incedere? mi amor, & sapientia mea divina, quamdiu manebo in hoc errore, & illusionem? quamdiu te fugiam? quamdiu terrenus hic homo cunctabitur facere, quod clarissimè cernit in te? Quare diligo vitam, si eam non exigam in tua societate, sicut fecit sanctissima tua Mater, cum tuam pro me finias in cruce? quæ potest major esse deceptio meorum errorum, quam ista? ô spes mea! oriatur mihi tandem divina lux tua, roboretur amor, fiat hæc mutatio cordis mei, ut se totum tibi submittat. Ecce jam tibi me trado, me offero, totum me dono: fac, Domine, ut corde puro hoc fiat, & integro. Sine me pati tuos dolores; da mihi, ut in iis imitari te possim. Tolle à me gustum rerum omnium ut aliâ non delecter, nisi tui amore, & patiendo pro te.

*Mariano-
bis in Ma-
træm data
à Christo*

VI. Deus cordis mei, & Domine animæ meæ! adoro te, & infinitas gratias ago, quòd etiam dolorem, quem accipis à Matre tua sanctissima, vertas in bonum meum, dando mihi illam pro Matre ac Domina, & demonstrando, quòd me tanti æstimes, ut illi me tuo loco tradas in Filium, ut ipsa me protegat, foveat, juvet, mei misereatur, & compatiatur necessitatibus meis. An non inveniebas, Redemptor mi, aliud solatium afflictissimæ Matri, quam ut assignares ei peccatores in filios? Benedicaris & lauderis in æternum, quòd nihil velis perire, sed omnia vertas in nostram salutem. Ergo, piissime Salvator, fac ut inter tot remedia ego sine remedio non sim: recipe me in tuum, & fac me dignum famulum hujus sanctissimæ Virginis ac Dominae.

O Sanctissima Dei Mater! recordare, quòd dolores, quibus caruisti in partu Virgineo Unigeniti tui, duplicati fuerint in partu spirituali peccatorum, quando eos recipiebas in filios. Et quia tibi tanto constiti, accipe me in servam tuam, protege me, adjuva me. Impetra mihi à Domino, ut me exaudiat, possideat, & totum transformet in suum obsequium. Fac erga me, ô sanctissima Virgo, officium Matris, impetrando mihi gratiam, ne pereat hic tuus indignus & miserabilis Filius. O cives cælestes,

tes, fructus viscerum & amoris huius purissimæ Dominæ! rogate illam, ut mihi faveat, & obtineat ab Unigenito suo, ut faciat me dignum servum suum. Amen.

ÆRVMNA XLVIII. Domini in Cruce Derelictio.

I.



Ultimū relevari solent ærumnæ, si quis vel socios vel amicos habeat, qui compatiantur, aut animum à malo abstrahant, atque divertant ad alia. Sed undique circumfluere miseriis, ut quocunque convertas oculos, augeantur dolores, ac destitui simul omni re, quæ animare possit, hæc demum non sine ratione habetur pro summa miseria. Ideo Dominus noster suos in hoc genere probare solet, eò quòd maximè contrarium sit naturæ & gustui vitæ. Quando ergo vult animam, quæ seria voluntatis determinatione ipsū quærit, inducere in hanc viam, & preparare ad gratiam, quam ei largiri decrevit, initio crucem ei tentationum, aut aliarum molestiarum imponit, ut incipiat amittere amorem rerum terrenarum, & exerceri in imitatione Christi. Deinde cum inceperit obedire Deo, & à manu suæ divinæ Majestatis acceptare cruces, adimit ei consolationem creaturarum: ut illam quærat solum in ipso, & creaturæ non rapiant sibi partem ejus amoris per consolationem, quæ possit provenire ab ipsis. Denique cum à creaturis avulsa, per amorem Dei renuntiaverit omnibus, quæ ab illis posset expectare, soli Deo se permittendo, à quo solo duci cupit, & accipere solatium; ille suum favorem abscondit, atque ita se occultè communicat animæ, ut eum præsentem non agnoscat, nullamque consolationem sentiat, cum desolatione interna, ut jam nec à Deo, neque à Creaturis habeat quidquam solatii. Fit hoc ideo, ut perfectè purificetur amor, ac Deus jam non quærat, nec ametur propter sua dona & gratias, sed purè propter id, quod est, & meretur. Et sic anima puro amore Deo subiecta, liberaliter sinit se tractari ab eo sive per solatia, sive per desolationem, prout ejus Majestati videtur;

Qua ratione Deus animas ad se trahat,

Sicut per secl. amantem Deum

Zzz. 2

tam